



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R. P. Thomæ Tamburini È Societate Jesu Opera Omnia**

**Tamburini, Tommaso**

**Lugduni, 1689**

A liceat vendere vel emere cum pacto retrovenditionis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78172)

ante, atque adeo omnes difficultates superare ex iustitia debent, quo creditores integre satisfiant.

6. Ex qua postiore notariq; evolve questionem sequentem: Petrus emit, vel conducit aliquam Rege, eadem Regi debeat v. g. mille; Rex autem ex alia causa debet Hospitali, v. g. itidem mille. Quid ad petendum excogitat Petrus: Regem orat, ut mille, quae Petrus Regi debet, solvat idem Petrus Hospitali, & liber sit Rex a debito, quod Hospitali debet. Hac facultate impetrata, seu cum spe eam impetrandi, emit Petrus multo minori, v. g. aureis quinquaginta, creditum illud Hospitali, & sic loco mille aureorum, quos ipse Regi debebat, solum solvit Hospitali quinquaginta, hactenus haec industria utitur Petrus: Illicite, sicut Molin. & Salas apud de Lugo max citandum quia Rex non poterat minori pretio extinguere illa mille, ita nec Petrus, qui Rex illam computationem impetravit. Licite, putat de Lugo, tom 2. de inst. d. 26. s. 7. §. 1. num. 103. quia non est minister Regis, nec dum illam facultatem impetrat, se Regis Ministrem constituit, vel se obligat ad integre solvendum.

7. Verum, nisi hic distinguas, errabis facile: Nam si illam facultatem satisfaciendi Hospitali cum iis mille aureis debitis a Rege impetrasti, postquam minori pretio emisti ab Hospitali creditum, licite praedictam industriam excogitasti, neque inique illam usurpas. Ratio est, quia sic nullo modo es minister Regius, quoad solvendum Hospitali, iam enim nihil Rex Hospitali debet, sed tibi, qui Hospitali, aequo pretio, ut supponimus, emisti, & ex alia parte quando illud emisti, tum futurum tibi, tum, amicitiae Regis tibi nocere non debuit; At verum, si eam facultatem impetrasti antequam emeris creditum ab Hospitali, illicite, & inique te geris, si post impetratum facultatem minoris emas, seu extinguas eiusmodi Hospitali creditum. Ratio est, quia quando Rex tibi licentiam illam, seu communicationem concessit, transibit in te onus solvendi Hospitali aureos illos mille; omnis autem hoc involvit etiam obligationem solvendi sine difficultate; cum ergo tu debeas ex iustitia sine difficultate solvere, contra Iustitiam ageres, si ex hoc capite aliquid exigeres; quod onus contra te certe non est, in prioro casu.

8. Nota denique terro: An debitor possit sic de debito immutato convenire cum creditore? Debeo tibi centum aureos post annum, do tibi nunc 50. & alia 50. dies post annum, sed post duos, vel tres. Respondo, duplici modo id fieri: Primum, per extinctionem prioris contractus, & celebrationem novi, sic, verbi gratia, dicente creditore: Accipio 50. & restituendo contractum, quo tibi mutaveram centum; & novum celebrans, quo mutuum 50. per biennium. Atque hunc modum esse licitum per se patet; Vel secundum, nihil immutando, sed retinendo idem mutuum, quoad partem non redditam, cum extensione tamen ad biennium; &c. quamvis ultimum sic esse doceat Navarr. apud Caram, max cit. videtur tamen non esse usurarius, sed licitus, ex Caram. la. Theol. moral. d. 13. num. 748. cuius verba exhibebit, & approbat Dian. part. 9. in d. 6. res. 24. quia debitor tulit gravamen solvendi ante tempus, nimirum nunc illa 50. & Creditor subit gravamen expectandi per biennium pro aliis 50. ergo sunt sub pari gravamine; Constat, quia hic non est contractus mutui, sed innominatus: Do gravamen meum, ut des gravamen tuum, &c.

An liceat carius vendere credito, ut statim villius numerato idem ematur, quod alicubi dicitur Porro, alicubi Pillizza, alicubi Baratto.

9. Indigens Petrus praesenti pecunia emit a Mercatore, verbi gratia, pannum, credito, sub rigoroso pretio, verbi gratia, centum aureorum: mox Mercator idem emit eundem pannum ab eodem Petro, pretio infimo. Part I.

mo, numerato; verbi gratia, octoginta; & Petrus remanet debitor in rigoroso illo pretio aut eorum centum, licet id sit?

Respondeo, in conscientia, & ex se, fieri licite. Ita Fag. loc. cit. c. 34. Lell. loc. cit. d. 16. modò verè, praedicti vendant, emanque, nec palliare velint mutuum, & eius usura. Ratio est, tum quia & prior, & posterior venditio iusta est, quippe iusto pretio sine fraude expedita: tum quia tertius quilibet Mercator posset eum pannum infimo pretio emere, ut omnes concedunt, cur ergo non potest illi idem? Imò is liberat Petram labore quarendi alium emptorem: tum denique, quia merces ultronea vilescunt; Mercator enim ut redimat praedictam mercedem, & possit rogari ab indigente illo solet. Imò in hoc casu, quo rogatur, non solum infimo, sed adhuc viliori pretio redimere posset, ut vidimus, sup. §. 4. n. 6.

10. Atque haec vera sunt, etiam si Mercator nullo alio animo vendat credito, nisi ut mox vilius emit numerato, & etiam si Petrus manifestet Mercatori se emere carius, ut eidem vendat vilius, modò enim haec in pactum nec explicitum, nec implicitum deducantur, contra iustitiam non sunt.

11. Dixi primò, (in conscientia) nam alicubi, ut Castellae, id prohibetur poena exilij in Africa per biennium, & ut debitum non exigatur, & certè Covar. l. 2. var. c. 3. num. 6. hunc modum contrahendi vocat genus latrocinij maxime execrandum, & iustis poenis vindicandum.

12. Dixi (ex se) nam ex adiunctis potest non raro sublatè in iustitia, ut si ementem Mercator obliget ad sibi revendendum, tunc enim supra pretium rigorosum imponeret onus pretio aestimabile, hoc est, obligationem revendendi. Nonnemo ex timoratis mercatoribus solet mittere eiusmodi emptorem ad forum, ut si ibi inveniat, qui velit emere, vendat: si verò non inveniat, redeat, nam sic securius idem mercator infimo redimit pretio.

13. Quid contra? Indigens pecunia Antonius vendit mercatori pretio infimo libram ferici, inde post mensem, verbi gratia, immò post horam redit Antonius ad eundem mercatorem, ematque illam eandem ferici libram, pretio summo licetè, & iustè?

Respondeo, si non fiat ad palliandum mutuum, quia sic esset usura, sed vera sit emptio, & venditio, iustè fieri eodem modo, quo haecenus, numeris praecedent. dictum est, & eadem rationes persuadent. Addit Molin. d. 376. de Lugo t. 2. de inst. d. 26. s. 7. §. 1. num. 195. favet Caram l. 2. theol. moral. num. 356. id posse etiam fieri cum pacto retrovendendi, hoc enim nunc in favorem retrovenditoris edis, quia iam retrovendet maiori pretio, quare nunc pactum retrovendendi non est onus, sed immò ipsius beneficium.

14. Et ita quidem, si id sine fraude fiat. Verum, ego Nestor semel de hoc interrogatus, usura reum mercatorem feci, & fraudem inspexi in eo verbo (eandem ferici libram) nam Antonius, cuius illa ferici libra non erat, sed accepta à Domino, ut eam in opus intexeret, quia nummis indigebat, mercatori vendidit, seu potius tradidit cum pacto, ut nullo modo alteri venderetur, sed sibi post mensem reversuro. Profecit, si ferici vendentis non erat, si mercator dominum perfectum non acquisivit in re mobili, quae non facit fructus, cum non posset de illo serico disponere, qua ratione dicenda non sit haec mera usura ex mutuo, sub illo ficto venditionis contractu palliata?

An liceat vendere, vel emere cum pacto retrovenditionis.

15. Vendo tibi, vel à te emo fundum, verbi gratia, ea lege, ut quando ego voluero, vel quando inter nos conventum fuerit, puta intra duos, quinque, decem annos, ego tuum tibi reddam, te mihi reddente meum. Quæro an licita sit, atque aequa conventio?

Et quidem hunc vendendi modum aliqui vocant dare in pignus: sed loquuntur improprie, pignus enim



enim non transit in dominium eius, qui illud accipit: at in casu nostro fundus sit emptoris, undè si perit, ipsi perit, atque ipsius sunt fundi fructus, non verò venditoris; Supponimus enim esse veram, validamque emptio-nem? si enim ex aliquo capite invalida esset, certe fructus essent venditoris, res enim semper pro Domino fructificat. Lege Molin. d. 374. qui notat, quando eiusmodi pactum est pro tempore determinato, verbi gratia, intra decem annos, iis annis exactis, remanere absolutam venditionem, & tunc emptorem posse deinde rem, ut potè absolutè suam, alius distrahere, quod antea, propter pactum, facere non potuisset. Notat insuper quomodo venditor, vel eius hæres possit agere contra tertium possessorem in casu, quo contra pactum ante tempus rem emptor distraxerit.

16. Porro adverte, pactum hoc retrovenditionis posse apponi tribus modis. Primò, ut sit in favorem venditoris. Secundò, in favorem emptoris. Tertio, in favorem utriusque. Primum est, si quis tibi vendat fundum ea lege, ut eo volente restituere pretium, tu debeas reddere fundum. Secundum est, si quis vendat tibi prædium ea lege, ut volente te restituere prædium, ille debeat restituere pretium. Tertium est, ut volente eo reddere pretium, tu reddas prædium, & volente te reddere prædium, ille reddat pretium. His positis:

17. Affero, omnibus his tribus modis, pro tempore determinato, sive indeterminato, seu ad alterutrius libitum, licitam per se esse prædictam conventionem. Ita Molin. d. 374. Lessi. l. 2. cap. 21. d. 14. de Lugo loco citato, c. 1. à num. 185. Fagundez de contrah. l. 5. c. 45. Ratio est, quia potest servari æqualitas in hoc contractu, cum nulla iniuria vendentis, ementisve. Et sicut i census ferè semper venduntur, seu constituuntur cum pacto explicito, vel saltem implicito retrovenditionis, ut approbaverunt Summi Pontifices, & ipsa communis praxis: ita hæc.

18. Illud tamen præ oculis accuratè semper habendum est, ut, quia pactum hoc est onus quoddam pretio æstimabile, is qui illud subit, debeat id reducere de pretio, seu de valore rei; nam si res valet decem, v. g. quando venditur absolutè, certè minus valeat, necessè est, si non absolutè vendatur, sed cum onere illam relinquendi. Vt autem hæc, & alia huc pertinentia explicatius habeantur, sic distinctè procedamus.

*Pactum de retrovendendo in favorem venditoris.*

19. Res vendenda cum hoc pacto, quanti minoris valet? Respondeo, quando adest lex taxans (ut in aliquibus locis esse audio) illam esse servandam, non est dubitandi locus. Quando ergo lex deest, diminui docent aliqui innominati apud de Lugo, l. c. n. 189. pretium debere per tertiam partem, ut si res valebat absolute triginta, cum eo pacto valeat viginti. Aliqui verò docent, diminui per quartam. Ita Bonac. de contrah. d. 3. q. 2. p. 3. n. 2. qui testatur, ita esse praxim Mediol. Sed melius alij id statuunt, esse decernendum prudentis arbitrio, expensis, longitudine, & brevitate temporis, periculis recuperandi rem vel recuperandi fortè deteriorem. &c. Reginald. Mol. Menoch. alique cit. à Bonac. loc. cit.

20. Res iam vendita cum pacto, quanti deinde debet redimi, pretione, quo res fuit empta, an quo valet tempore redemptionis? Respondeo, si præcessit pactum in contractu, ut emptor teneatur eodem pretio revendere (quod pactum esse licitum, docet Lessi. loco citato, n. 115, cum id sit pactum de rescindendo priore illo contractu, & non sit novus, qui requirit pretium currentis tempore contractus: ut patet etiam in censibus, in quibus statutum est à Martino, Nicolao, Pio, Quintis, ut eodem pretio redimantur: supponere autem semper debet Lessius, rem non inventiri saltem notabiliter deterioratam) si præcessit, inquam, hoc pactum eodem pretio redimendi oportet. Quòd si præcessit pactum de retrovendendo eo pretio, quo valebit tempore revenditionis (quod

etiam esse licitum idem Lessius notat, quia tunc potest tituli fieri novus contractus) sub hoc pretio erit retrovendendum, & non erit novus contractus, qui requirit pretium currentis.

21. Difficilius est statuere, si nullum præcesserit pactum, sed dictum dumtaxat fuit: *Vendo tibi hoc prædium cum pacto retrovenditionis*. In quo casu putò debere retrovendendum, quia in hoc casu retrovenditor retrovendit sine onere, ut supponimus: undè ergo minoris, quàm si valeat, redimi sine iniustitia poterit?

22. Denique: quid si fiat pactum, ut prædium vendatur pretio minori, quàm sit infimum, quo retrovendatur? Dico pactum hoc esse iniquum, & non servandum, quia in hoc casu retrovenditor retrovendit sine onere, ut supponimus: undè ergo minoris, quàm si valeat, redimi sine iniustitia poterit?

23. Quod dictum est de re immobili, dictum est de mobili, licet enim potes vendere, dictum est de equum, bovem, vestem cum pacto, ut emptor teneatur revendere: dimittere tamen aliquid de pretio debet propter hoc onus superadditum, ut constat ex dicto.

24. Petes, rem stabilem, verbi gratia, fundum, si tibi venditum, possesne tu statim deinde locare, si sit iusta pensio à me solvenda? Respondeo, non solum rem stabilem, sed etiam rem mobilem, verbi gratia, vestem, bovem, equum, &c. Ratio est, quia iam est tua & de illa disponere, ut libet, potes. Sollicita à palliata usura, ut si non intendas verè vendidisse locare, sed solum lucrum habere, &c. quæ certe palliatio facilius est in rebus mobilibus, quàm in stabilibus. Vide simile quid paulò superius, n. 13.

*Pactum de retrovendendo in favorem emptoris.*

25. Ego, v. g. à te fundum hac lege, ut quoties tu luero, possim à te recuperare pretium, restituo tibi fundum. In hac ergo venditione, quodnam erit pretium? Respondeo, erit aliquando maius, ad arbitrium prudentis. Ratio est, quia venditor suscipit in se obligationem onerosam, ut reddat pretium, resumaturque revenditum. At quando resumit rem venditam, non datur quantum accepit, sed quanti valet res eo tempore, quo rem resumit: nam si in manu emptoris res fuit deteriorata, æquum non est, ut redimatur eodem pretio, quo voluit sine illa deterioratione. Quòd si pactum aliquod in contractu præcesserit, dic illud proportionaliter, quo modo n. 13. art. 11. limitum.

*Pactum de retrovendendo in favorem utriusque.*

26. Si pactum sit, ut tum venditor, tum emptor possint rem redimere, vel revendere, eo tempore, quo in liberit, pretium debet esse, & aliquando maius, quàm si venderetur solum cum pacto in gratiam venditoris, & aliquando minus, quàm si venderetur solum cum pacto in gratiam emptoris. Quare ita calculat Lessius, l. c. n. 120. si res valeret aureis centum, in hoc casu posset vendi, seu emi aureis 88. vel 90. ad arbitrium prudentis. Ratio est, quia sicuti pactum est in utriusque gratiam, ita pro utroque in aliquo pretium diminui, congruum est. At quando deinde revenditur, iustum pretium erit, quantum valet tempore, quo fit retrovenditio, modo, quo dictum est num. precedente.

27. Petes: In prædictis tribus modis fructus imputantur ad quem pertinent, ad venditoris, an ad emptoris? Respondeo, hæc, & similia, cum non sint admodum frequentia, & multum ad Iuris peritos pertinentia, Lege apud DD. de Lugo tom. 2. de Inst. diffinit. 2. §. 1. & pro praxi Bonacin. diffinit. 3. de controversi. quæ sunt part. 7.